

## DISPUTATIO MEDICA

purgetur, vel diæta remedium afferat. Cuidam me-  
diæ ætatis nimia præcipitatione fundebantur hæmorr-  
hoides, quum Medici & Chymici cuncta tentassent, nec  
succederent: jussi, ut una intacta reliquæ tangerentur  
colcothare, ita appellant crassamentum illud à vitrioli  
olei destillatione relictum, sic illico constitit malum.  
Hydropem ab obstructione hæmorrhoidum produ-  
ctum fuisse, autor est Job, Rhodius Cent. III. obs. 5. item  
Frider. Loffius Lib. III. obs. med. 26. Quod phthisin attinet re-  
fert Amatus Lusitanus Cent. V. curatione 3. Quibusdam qui  
his evacuationibus assueti fuerant, sanguinem sine tus-  
si per os subsiliisse, desissem autem cum hæmorrhoides  
essent apertæ. Galenus quoque Cap. VI. de V. S. ad-  
versus Erasistratum mentionem facit hæmophytseos  
& intercostalium inflammationum obortarum propter  
fluxum hanc cessantem. Riedlienius obs. med. 360. hæmo-  
ptysin, ulcus in collo, vesicæ tabem, mictionem crue-  
tam, denique ipsam mortem ex hæmorrhoidum Sup-  
pressione annotavit.

## XIII.

Tandem egregia de salubritate hæmorrhoidum  
notavit Hipp. Lib. VI. Epid. Com. 13. & ad finem lib. de hu-  
moribus, ubi dicit: hæmorrhoides non solum solvere  
melancholiam & renum passiones, verum etiam &  
pleuritidem & peripneumoniam & maniam & phagæ-  
denica ulcera, furunculos, vitiligines, denique omnia,  
quæ habent melancholicum humorem permixtum.  
In dictis enim morbis & inflammationibus ut plurimum  
peccat sanguis crassus, serum glutinosum, quô evacua-  
tô ab atrocia sua remittunt dicti affectus. Ulcera fi-  
stulo-